

## Anlage 1.

Bischof Adelog bestätigt die Gründung des Klosters Dorstadt vom Jahre 1189.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS.  
ADELOGUS DEI GRATIA HILDENSEMENSIS EPISCOPUS.

Opere pretium esse dinoscitur, pias fidelium ordinationes in noticiam plurimorum deducere, quatinus malignari volentibus multorum obstet testimonium et ceteros ad immitandum boni operis invitet exemplum. Inde est quod notum esse volumus presentibus et posteris, quod frater noster felicis memorie Arnoldus de Dorstat, zelo honoris Dei et proprie salutis fervens, divinum disposuit ampliare servitium, ad quod locum ville sue Dorstat judicavit idoneum. Eapropter fratrem suum Heinricum sollerti instantia ad hoc induxit, ut, accepta ab eo in aliis compensatione, predia, que in Dorstat habebat, sancte Cruci in eadem villa sub hac forma conferret, quatinus ibi fideles ad vivendum sub regula et patre communi adunarentur, eorumque necessitatibus de illis bonis provideretur. Summa autem collatorum ab Heinrico, ipso Arnolde consentiente, qui eius heres erat, hec est: Curtis in Dorstat cum VII mansis ad eam pertinentibus, item VIII mansi dotales ecclesie in eadem curti constitute, quorum VII siti sunt in Dorstat, II in Biwende. Ad hec idem Deo devotus Arnoldus XIII mansos, quos a nobis in villa jam dicta nomine feodi tenuerat, resignavit, quos communi consensu fratrum nostrorum ibidem sancte Cruci contulimus. Item III mansos in eadem villa sorori sue Gislen in usumfructum concessos per commutationem expedivit eosque sancte Cruci cum loco molendini similiter assignavit. Ludegerus etiam, ejusdem Arnoldi privignus, accepto ab ipso XVIII marcarum pretio, tres mansos cum curti una in Schisele sancte Cruci in loco jam dicto contulit, matre sua Bia consentiente, que sola ejus heres fuerat et in eisdem bonis usumfructum habuerat.